

tur: qua uti cuivis alij verbo dicto, aut prædicato: sicutiam verbo DEI in templis annuiciato aures patulas præbere homo potest.

57. Patet hoc ex perspicuis scripturarum testi-
monijs & Exemplis. Rom. 10.2. tribuit Apostolus
hominibus merè carnalibus zelum, sive studium
DEI, licet & nāt' ἐπίγνωσιν: & DEVS ipse a-
pud Prophetam, Iudeis perituris, & à gratia a-
lienis, adscribit famem audiendi verbi D E I,
sive summum desideriū illius audiendi & discen-
di dicens: Ecce dies venient & mittam Famem
in terram: non famem panis, neque sitim aquæ:
Sed audiendi verbum Domini: & commo-
vebuntur à mari usque ad mare, & ab aquilo-
ne, usque ad orientem circumibunt Quæren-
tes verbum Domini, & non invenient.
Amos 8. 11. & 12.

58. Exemplis idem fit manifestius: Nicodemus
nondum sanè renatus ad Christum venit, & ve-
ritatis viam addiscere sat agit. Ioh. 3. 4. Herodes
libenter & cum voluptate audire solitus Iohan-
nem Baptistam: Marc. 6. 20. Sergius proconsul
Ethnicus desideravit audire Paulum & Barna-
bam. Act. 13. 7. &c.

59. Neque vero vel Pontificiorum opinioni, vel
Synergistarum dogmati, quicquam nostra hæc
sententia patrocinatur. Haud enim quicquam
aliud, quam naturalem auditum & iudiciū qua-
lecumque carnale homini concedimus: neque ad-
mittimus, ipsum suo hoc auditu gratiam Dei ul-
lo modo vel antevertere vel promereri. AH-